

strando cubiculo & adstantibus internoscendis sufficerent, sed absoluta aquam ita lucentem exhiberent, ut inclusa intra vitream amphoram ad aliquod tempus legendis literis deserviret.

§. 21. Sed redeamus ad Animalia Terrestria. Hieron. Fabricius ab Aquapendente cum plurimis Patavinis Civibus vidit Anno 1592. circa Festum Paschatos carnem & adipem Agni mactati, quæ argenteo splendore in locis obscuris nitebat, digitosq; contrectantium aliasq; res contingentes simili luce splendentes reddebat, uti ex *Ejus Tract. de Oculo Visus organo cap. 4.* narrat Schottus *d. l. cap. 3. pag. 1371.* Similem splendorem à se spargebant Monspeli Anno 1641. mense Aprili carnes recens mactatæ & adhuc calentes, Bovinæ & Agninæ, uti id indubitato testimonio retulerunt Bartholinus *de Luce l. 2. cap. 6. pag. 241. & Centur. I. Epist. 9. & 12.* Petrus Borellus *Centur. I. Obs. 3. pag. 6.*

§. 22. Eodem prope tempore in tenebris coruscans splendor conspiciebatur in Gallo gallinaceo, si vera sunt, quæ Monspeliensis Mulier, prima Carnium lucis observatrix, narravit Bartholino, quem vide *d. l. 2. cap. 14. pag. 299.* Huic Gallo adjungenda est Gallina, de quâ ita scribit Jul. Cæs. Scaliger *Exercit. 174. pag. 539.* Ad montem Bellum in excubiis militaribus procul in arbore visa est lucis species. Sensim accessi, miratus immobilem. Gallina erat candida, quæ metu ob tumultum rapinamq; Germanorum Militum conterrita ex villa cum aufugisset, ibi pernoctabat.

§. 23. Alias aves noctu lucentes ostendit Plinius *lib. X. c. 47.* his verbis: In Hercynio Germaniæ saltu inusitata genera alitum accepimus, quarum plumæ ignium modo collucent noctibus. | Paulò fusiùs de illis Solinus *in Polyb. cap. 20.* Saltus, inquit, Hercynius aves gignit, quarum pennæ per obscurum emicant & interlucent, quamvis obtenta nox denset tenebras, unde homines loci illius plerumq; nocturnos excursus sic destinant, ut illis utantur ad præsidium Itineris dirigendi, præactisq; per opaca collium, rationem viæ moderantur indicio plumarum fulgentium. Has esse Garrulos Bohemicos suspicantur Gesnerus *de Avibus lib. 3. fol. 703.* Dalechampius *in Not. ad Plinii l. c. lit. b.* Bartholinus *de Luce d. l. pag. 292.* Adde Vossium *d. l. 3. cap. 98. pag. 1263.*

§. 24. Hanc conjecturam rejicit Aldrovandus *l. 13. Ornithologie fol. 395.* Hallucinantur, inquit, qui (Garrulum Bohemicum sive) Ampelidem Avem Hercyniæ Sylvæ dictam putârunt, Pennæ enim

B

nostræ